

43. *Exempli gratia: Creatio ut & Conservatio huius Universi, & rerum quæ in eo sunt, omnium, Patri tribuitur: Sed utrumque nihilominus opus commune est toti Trinitati, quatenus simul omnes operantur: Sed ordinatè tamen & cum conservato uniuscujusque discrimine & proprietate, uti loquitur D. Augustinus l. contra Felicianum.*

44. *Quem ipsum ordinem notavit scriptura, dum in describendis Operibus ad extra stylū sic informat: Ex ipso: per ipsum: & in ipso sunt omnia. Rom. 11, 36.*

45. *Vni ergò quidem DEO per Essentiam commune Creationis opus assignatur: Sed sub discrimine Personarum notato, Ordo etiam certus in eodem opere exprimitur.*

46. *Nam prout in unoquoque Opere, persona quælibet peculiariter sese patefecit: ita cum certâ Ordinis notatione, opus istud illi adscribitur.*

47. *Exempli gratia: In Creatione & Missione Filij, Pater præcipuè sese revelavit: In Redemptione, peculiariter sese manifestavit Filius: In Sanctificatione Spiritus sanctus maximè sese revelavit.*

48. *Singulis ergò καὶ ἐξοχῆν Opera ista tribuuntur: non exclusâ tamen interim, sive sublata Communitate, quâ in illis ipsis Operibus, Personæ omnes, ratione unius eiusdemq; Essentiæ divinæ participant.*

F 5 Vnde